

**De hydrope cerebri : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joannes
Sebast. Boettger.**

Contributors

Boettger, Johann Sebastian.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Formis Theophili Brüschcke, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j45uq5gm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(3.)
DE

HYDROPE CEREBRI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCXIX.

PUBLICE DEFENDET


A U C T O R

JOANNES SEBAST. BOETTGER
BERNBURGENSIS.

H. L. Q. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHKE.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22481345>

EXCEPTEA P A T R I

CARISSIMO AC LONGE DILECTISSIMO

JOANNI CHRIST. BOETTGER

Quam interea, ac in aliis operibus, et disputatione inauguralemente conscribere reportem, in hunc postulare, nullum meum confitit, episcopus utriusque, nequid
HOTDIA, quod prius operis suorum qualem
prolegimus, causa velut amissio
nem, non habemus.

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

CALASSIMO AC LONGO DILECTISSIMO
PIA GRATAQUE MENTE

JOANNI CHRIS. BOETTCHER

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Inter omnes humani corporis affectus dignissimus est hydrops cerebri, qui assiduo a medicis studio perstigetur, cuius mali immanitati non modo aetas infantilis, sed adulta etiam obnoxia est. Magnas vero inter teneram subolem edere strages consuevit, multos infantes inter prima vitae initia, modo ante modo protinus post partum, ad annum usque septimum absumit, multos etiam adultiores symptomatis funestissimis extinguit, et nunc parentibus senectutis sollatia nunc rei publicae cives futuros eripit.

Quum moribus ac institutis majorum me satisfacere et dissertationem inauguralem medicam conscribere oporteret, in hunc potissimum morbum operam meam conferre, ejusque originem, sequelas et curationem hisce pagellis breviter adumbrare placuit.

Rogatum ergo te velim, lector benevole, ut, si minus tibi probetur, quod primum opusculum palam proposui, pro indulgentia tamen ac humanitate tua veniam mihi largiaris.

Quum variis aqua in locis colligi soleat, divisio oriatur multiplex necesse est. Quo accuratius cerebri hydropes distinguantur, singulos pertractari ac primum de hydrocephalo externo et interno exponi commodissimum judico.

I. Hydrocephalus externus.

Hic aqua extra cranium inter integumenta externa, vel inter cutem galeam aponeuroticam et pericranium; vel inter pericranium et cranium ipsum collecta est. Diagnosis hoc in genere facilis est, quum tumor oedematosus et oculis et tactu cognoscatur. Si aqua inter galeam aponeuroticam et pericranium est, tumor major et tactu mollior, si inter pericranium et cranium ipsum, minor ille et durior et dolorificentior deprehenditur. Verum ista hydrocephali species rarius observatur, ut plurimum comes et sequela hydrocephali interni est, atque praeterea semper injuriis externis v. c. ictibus, contusioribus rel. in nuper natis post partum difficilem inducitur.

II. Hydrocephalus internus.

Aqua inter cranium, membranas et cerebrum colligitur. Haec species aetatis infantilis tenerrimae esse consuevit, haud raro in foetu incipit, sic ut partus exinde difficillimus reddatur et punctio capitatis, qua derivetur aquae colluvies, instituenda sit.

Exemplum proponit Osiander i) quo caput ob ingentem ambitum partu elidi non poterat. Eo aperto aquae librae octo et unciae sex profluxerunt. Si hydrocephalus tenerima aetate nascitur, qua suturae et fonticuli nondum prorsus coaluerunt, tantum abest, ut contrahantur, ut potius dilatentur, quo facto aquae fluctuatio manifesto per integumenta sensitur, et diagnosis facilior redditur. Si vero jam adoleverit aetas ossa magis sunt conglutinata, nec facile possunt dispelli, unde diagnosis ardua est, facileque morbus cum hydropo cerebri confunditur. Attamen functiones cerebri haud perinde ut in hydropo ipsius turbantur, in quo scilicet cerebrum intimum aqua collecta occupatur.

Hydrops cerebri.

Hydrocephali seu Hydrencephali nomine eam hydropis speciem intelligi volui, quae in cerebro et potissimum in ventriculis ejus est. Praetermissis variis hydrocephali formis modisque, in dolem modo acutam modo chronicam induentis, modo collectiōnem serosam in tela cellulosa, inter aponeurosin, cranium aut pericranium referentis, circa eum tantummodo versabor, qui in cerebro ipso est.

Morbi descriptio.

Morbus duas species exhibet, quarum altera decursum acutum et regularem, scilicet, encephalitidis proprium absolvit, quippe cuius exitus

i) Osiander. Anal. d. Entbindkde. II Stück.

in exsudationem est. Quamobrem medici nonnulli hydropis cerebri acuti nomen huic indiderunt, minus recte alii febrem hydrocephalicam appellaverunt. Altera species ab initio decursum tardiorem et irregularem servat, hydropem cerebri chronicum paulatim sistit, nihilque inflammatorii secum habet, quamvis semper ex statu inflammatorio oritur. Exinde necessitas diagnosin utriusque dirimendi appetet.

Id malum aquae sede, quae est in ventriculis ab hydrocephalo externo valdopere differt. Hinc vero symptomata gravissima et decursus acutior est, proterea quod aqua magis massam cerebri internam et basin ejus urget, nec ultra capitidis extensio animadvertisatur. Inde etiam intelligi potest, cur diagnosis praesertim ab initio sit difficillima, morbusque cum aliis facile confundatur. Attamen malum quam primum dignoscatur, necesse est, quum inter initia tantum curae successus sperari possit. Optime inde recentioris temporis medici meruerunt, qui signa primae originis diagnostica accuratius descripserunt. 1)

Sunt qui esse hunc morbum plane negent, 2) liquorem videlicet serosum in ventriculos cerebri effusum pro effectu mortis habentes. Symptomata vero morbosa hisce aquae collectionibus praevia, satis superque hanc opinionem refellunt. Hydrops cerebri morbus quidem infantum est, nec tamen periodo cer-

1) Formey v. d. Wassers. d. Gehirnhöhlen. Berl. 1812:

2) Weickardt's med. Fragm. u. Erinnerung. 1791.

tae aetatis infantilis adstringitur, sed plerumque ab anno secundo ad sextum usque oritur. Quousque cerebri evolutio nondum est absoluta, quam pubescentiae tempore absolutam esse putamus, hujus mali metus subest. At vero in adultis mania, melancholia, aliisque morbis nervorum chronicis laborantibus haud raro aquae in capite collectiones quae vix unquam dum vivunt, cognoscuntur, et decursum longe alium, eumque chronicum potius servant, reperiuntur.

Dispositio ad hunc morbum hereditaria est. 1) Plures interdum, quin imo omnes ejusdem familiae infantes eo corripi et extingui videmus „Frankius 2) mentionem feminae facit, cujus infantes quinque, primo aetatis anno hydrope cerebri decesserunt.“ Goelisius de duabus familiis memoriae prodidit, quarum cuiusque novem liberi fuerunt, in altera septem in altera tres nulla apparente causa hydrocephalo fuisse correptos. — Hujusmodi infantibus modo citius modo serius post partum forma calvariae peculiaris nascitur, quae magis rotunda quam ovalis esse traditur. Oculi altius latent, et marginibus ossium frontis longe prominentibus obumbrantur. Animi facultates valdopere excoluntur. Haec argumenta ad diagnosin sunt gravissima, medicique attentionem ad hocce mali genus maxime intendere debent.

1) Odier med. chirurg. Abhandl. a. d. Franz. Leipz,
1798

2) J. P. Frank Epitome. T. VI.

Prodromi hoc malum praecedunt, plerumque difficiliores cognitu, quia saepe leves sunt, et a medico minus versato facile confunduntur cum morbo verminoso aliisve.

Signa prodroma [praecipua auctore Formey 1) haec sunt:

a) Exanthema exiguum, siccum, ad brachium internum, ad malas et interdum ad labia.

b) Urina turbida, lactea, quae quidem ad vermes frequenter refertur, Odier 2) vero et Heim testibus 3) signum certissimum praebet.

c) Indoles immorigera, morosa infantum, ceteroquin bene moratorum.

d) Incessus titubans. Ingressus fere peculiaris est, extremae partes paulo resolutae videntur, infans eas attollit quidem sed non satis tuto, et passibus magnis graditur. Haec nota nunquam abest. Prodromis vel brevius vel diutius moratis symptomata morbi exculti se manifestant.

I. Hydrops cerebri acutus.

Ab initio in totum encephalitidi similis, non alia quam haec symptomata in primo stadio offert; ad decursum solummodo longiorem phaenomena accedunt, quae exsudationem ex inflammatione cerebri oītam indicant, quamobrem non causa sed sequela

1) Formey, Horns Archiv Jahrg. 1810. B. I. S. 219.

2) Odier l. a.

3) Heim, Horns Archiv.

inflammationis est. Stadia plura assumere licet, quibus decursus hujus morbi describitur.

a) Stadium primum, quod quidem per aliquot dies absolvi, verumtamen ad diem quartum decimum prorogari potest. Hoc stadium esse inflammatorium et encephalitidis indolem praese ferre in confessu est. Morbus a frigore satis vehementi incipit, quod calor non minus vehemens subsequitur, sub quo partes extremae saepius frigescunt quam calescunt, caput tamen multo ardore conflictatur. Pulsus celer est, rarius nec nisi per breve tempus plenus, duriusculus tensus frequens parvus, inordinatus et maxime variabilis. Febris typus interdum febrem continuam remittentem, repraesentat, remissiones vero exiguae sunt et inordinatae; crebrius febri continuae continenti similis est. Hisce symptomata affectionis cerebri inflammatoriae accedunt: capitis dolor premens et constringens, qui nonnunquam loca singularia capitis, v. c. frontem, occiput et tempora, subinde caput totum obsidet, quin imo ad medullam spinalem interdum descendit, aegrotosque, ut per somnum illas partes manibus carpant, cogit. Porro sensibilitas organorum sensuum est auctissima, oculorum ardor, rubor et lacrymatio est: mutatio praeternaturalis pupillae, vultus ferox, limus, et convulsionibus distortus, auditus acutissimus est, quo etiam, tinnitus et susurrus aurium accedunt. Facies rubescit, omniaque congestionum capitum symptomata observantur; pulsatio arteriarum carotidum fortis, respiratio accelerata et anxia evadit. Aegrotus in deliria conjicitur, alta voce exclamat, furit, aut statu quodam sopor-

ris et stuporis detinetur. Praeterea convulsionibus spasmis et subsultu tendinum misere cruciatur, quidquid assumisit, reddit, spasmis aesophagi et vesicae urinariae et propterea urinae difficultate torquetur. Cutis calida est et sicca, urina intense rubra, parca, lingua arida rubicunda vel modice oblimata, alvus ex toto obstructa deprehenditur. Si neque mors et gangraena et paralysis fastigio hujus stadii inflammatorii terminum imponunt, inflammatio in suppurationem, indurationem, et si infantes sunt, ut plurimum in exsudationem serosam, ventriculos cerebri inundantem, abire consuevit, et stadii secundi initia adducit.

b) Stadium secundum hydropis cerebri acuti a periodo incipit, qua encephalitis in exsudationem transit. Si status inflammatorius in chronicum convertitur, saepenumero symptomata propria, a prioribus essentialiter disjuncta oriuntur. Conspicuum se praebet hocce stadium remissione insigni febris antea vehementis, congestionibus capitis, deliriis furibundis et exaltatione organorum sensuum prorsus fugatis. Febris ad remittentem vergit, interdum ex toto desinit, dolor capitis obtusus admodum premens residet; aegrotus in stuporem aut soporem incidit, quaecunque oculis offeruntur, per nubeculam quasi cernit, vel penitus obcaecatur, pupilla dilatata manet, auditus hebescit, lingua balbutit; oculi ut plurimum ad dimidium modo clausi sunt. Cum aegrotus assurgit, sensus anxietatis vehementissimae, inquietudo, saepe tussis convulsiva et saepius etiam vomitus accedunt. Dehinc manus capiti admoveare pergit, quod interdum ita collocare studet, ut molestiae supra positae

minuantur. Haec symptomata periodum etiam secundam hydropis stipare solent, etiamsi extravasatum serosum aut lymphaticum, vel per cerebri ventriculos libere diffusum, vel hydatidibus inclusum est.

c) Quando ad stadium usque tertium aegrotus servatur nulla praeterea inveniuntur symptomata, nisi quae in fastigio hydropis cerebri observantur, Scilicet functionum cerebri maxime alienatarum. Stupor et sopor magis magisque eminent, paralysis pupillæ et extremitatum nec non surditas et caecitas perfecta superveniunt. Vomitus erecto corpore multo vehementior quam antea, lingua sordida et nigra, spiritus foetidus, brevis, anxius et spasmodicus; pulsus maxime inordinatus, parvus, celer, spasticus, inaequalis et summe variabilis est. Adduntur convulsiones muscularum faciei oesophagi et partium extremarum, singultus, symptomata epilepsiae et tetani. Postremo, si aetas est tenerima, os frontis aut occipitis protuberat, pressuque ad cerebrum nimis aucto, intra dies viginti et unum mors irruit.

II. Hydrops cerebri chronicus.

Haec species tarde plerumque et praeter suspicionem irreptans, multos subinde annos tenet, et nunquam non statu inflammatorio aut irritato nititur, quamvis nonnulli medicorum functionem vasorum resorbentium primitus laesam statuant 1). Morbi initium hoc est, ut infans animi alacritatem despon-

*) Schaefer Kinderkrankh, S. 136,

deat, tristis morosus et rixosus fiat. Piget ambulare quin imo pedibus insistere, et motu quolibet modico defatigatur aegrotulus gressum facit titubantem et incertum, sero etiam et aegerrime loqui addiscit. Si ejus est aetatis, ut sensus suos cum aliis communicare possit, dolorem plerumque periodicum conqueritur, qui regionem frontis vel occipitis obsidet, et infantem cogit, ut capite certo in loco defixo levamen sibi quaerat.

Mirum utique videri potest, quod infantes huic malo obnoxii occiput in pulvinum deprimunt ac defigunt, idque per somnum adeo facere solent. In hac etiam periodo urina saepe parca et turbida sedimentum crassum demittit. Functiones reliquae minus alienatae esse solent.

Morbo longius procedente, capitis volumen augetur, frons, occiput et ossa bregmatis praeceteris protuberant. Hoc capitis augmentum tanto celerius et insignius fit, quanto minoris aetatis infans est, quantoque minus capitis ossa inter se juncta sunt, item si hydrocephalus simul internus est. Haecce periodus etiam symptomata functionis laesae cerebri, organorum sensuum et systematis nervosi luculentius expromit. Cephalalgia ingravescit, infantes caput levaminis causa antrorsum inclinant; congestiones transitoriae ad caput, quae sudoribus capitis praegrandibus finiuntur, superveniunt. Nares arescunt, auditus maxime acuitur, sic ut vel levissimus strepitus sensum ingratum moveat; oculi lucis impatiensissimi interdum rubescunt, vasa tunicae conjunctivae

tument et quibusdam in exemplis photophobia aut visus duplex esse solet.

Respiratio brevis evadit et anxia, pulsu parvo, spasmodico, celeri et inordinato. Vomendi cupiditas, praesertim si infans caput celeriter attollit et movet, nascitur, quibuscum anxietas universalis, motus spasmodici et strabismus verus junguntur. Abdomen etiam per sympathiam afficitur, ex quo symptomata varia v. c. dyspepsia, fames canina, obstructio alvi, diarrhoea oriuntur, quo facto excrementa corrupta, foetida, pituitosa, viscida, cibi nondum concocti descendunt. Status scrophulosus si antea non fuit, nunc accedit. In his etiam urina parca vel turbida vel subrubicunda, redditur, saepe etiam foetidos odores spargit. Si hydrops cerebri chronicus ad stadium summum provectus est, in locum exaltationis systematis nervosi, status paralyticus cerebri succedit. Tum phaenomena, inter symptomata stadii tertii hydropsis cerebri acuti recensita sperveniunt, ea tamen differentia, ut hocce stadium in hydrope cerebri chronicō multo longius extendatur, nec raro per menses vel annos teneat, priusquam mors paralysi aut tabe universali inducatur.

Facillime status verminosus aut febris verminosa sic dicta infantibus scrofulosis supervenit, qui febrem, gastricam pituitosam repraesentat cum hydrope cerebri alternans, praesertim dum minus est excultus. Utrumque vero luculentissime eo discrepat, quod febrim verminosam semper status gastricus vel pituitosus ceu prodromus antecedit, eamque per totum decussum comitatur. Febris usque typum remitten-

tem prae se fert. Bulbus oculi in orbitam non de-primitur, pupilla latior quidem est, sed oculi lucem non refugiunt. Morbus crebro variat et repetitis vicibus nunc evanescit, nunc revertitur. Nonnun-quam infans in febre verminosa per longum tempus bene valere, in hydrope cerebri non potest. Nec in-fans post assurrectionem vomit, ut in hydrope, sed melius habet; abdomen crassum, durum ac tensum, dolor capitis continuus et premens deest, urina clara sicut in morbis spasticis redditur, et prurigo narium vehemens est, Respiratio non multum impedita, pul-sus mollior et inanior deprehenditur.

Aetiology.

Causae hydropis cerebri quam maxime inter se differunt.

i) pro causa proxima semper functio laesa syste-matis lymphatici habenda est. In statu scilicet natu-rali in omnibus corporis humani cavis, vel in ipsa tela cellulosa copia certa humoris aquei excer-nitur, quo non solum impeditur, quo minus singula coalescunt, verum etiam major organorum mobilitas inducitur. Ut vero haecce quantitas semper eadem sit actione vasorum lymphaticorum usque resorbetur. Ex his patet, hydropem cerebri pro causa agnoscere.
a) vel secretionem auctam praeternaturalem vasorum exhalantium, vel

b) Resorptionem diminutam alienamque vaso-rum exhalantium.

c) vel utrumque simul.

Func-

Functiones vero vasorum lymphaticorum tum vitalitate praeter naturam aucta vel praeter naturam diminuta alienari possunt. Ad illam pertinent inflammations aut status cerebri nimis irritatus, quorum exitus fit in exsudationem. Quod haec species inflammationis aut irritationis vasorum tam facile ad producendos humores aqueos opportuna est, partim in eo causam habet, quod praeceteris membranas cerebri, ergo compages quae classi tunicarum serosarum adnumerantur, afficit, partim in aetate, quum infantilem maxime corripiat.

Multi medicorum antiquorum solummodo aquam in cerebro ejusque symptomata propria respexerunt, ideoque gradus diversos status inflammatorii tum cerebri tum membranarum ejus ignorarunt, neque solum indolem hujus morbi inflammatoriam male cognoverunt, verum etiam negare et refellere conabantur. Wichmann 1) Whittius 2), et Hopfengaertnerus 3), febribus nervosis eum inserunt, in primis Macbridius 4) febrem hydrocephalicam ut subdivisionem febris nervosae posuit.

Attamen jam Witheringius 4) Quinius 5) Ruh.

1) Ideen zur Diagnostik III B. S. 57.

2) saemtl. z. pr. Arzn. K. gehörig. Schriften Leipzig 1771.

3) Untersuch. über d. Natur u. Behandl. d. verschied. Arten d. Gehirnwassersucht Stuttgart 1802, 8.

4) Withering on the foxglove p. 197.

5) Quin's Abhandl. über die Gehirnwassers. aus deur Engl. von Chr. F. Michaelis Leipz. 1792.

sius 6) indolem inflammatoriam hujus mali vindicaverunt. Frankius 7), Hufelandius 8), Starkius 9), et Girtannerus 10) etiam hanc opinionem amplexi sunt.

Nuper quoque Loewenstein - Loebel 11) et Goelisius 12, naturam ejus quae est in stadio perimo, in inflammatione posuerunt.

Formeus et Cheynius etiam opinioni favent, hydropem ventriculorum cerebri inflammatoriae esse indolis, quamvis nomine inflammationis supersedent. Cheynius affectionem illam cerebri in actione morbosa peculiari vasorum arteriosorum cerebri ponit, quam congestio ad venas sequatur, ex qua profusio humorum serosorum proficiscatur. Aetas puerilis praecipue, minus juvenilis ad hydropem disponit. Haud dubie major capitis et cerebri prae reliquo corpore praestantia, copia sanguinis affluentis haud exigua, inde magna propensio ad congestiones et inflammations in cerebro ejusque membranis, praecipue in periodis evolutionis, v. c. dentium et ingenii virium

6) Ruhs Bemerkk. ü. d. Ursache und Heilart d. inn. Wasserkopfs. In der Samml. f. pr. Aerzte B. XVII. S. 487.

7) Frank, Kinderkrankheiten.

8) Hufeland. System d. pr. Heilkunde B. II. Abthl. I.

9) Stark, Neues Archiv. B. II.

10) Girtanner, Krankheiten der Kinder S. 329.

11) Loewenstein - Loebel, Erkenntniss und Heilung des Wasserkopfs u. a. Kinderkrankheiten Leipzig 1813.

12) Goelis l. a. l.

in pueritia causas praebent. Propterea omnium quoque medicorum observationes testantur, infantes alacres, vigore et praestantia ingenii praeditos huic morbo pree ceteris esse obnoxios.

At vero aliae causae e. g. Scrofuli omniaque exanthemata cutis suppressa hydrozem cerebri inducere valent, quippe quae semper irritationem morbose adauictam vasorum cerebri excitant, quae exsudationibus ansam praebet. Inde explicari potest, cur hydrops cerebri frequentius primo triennio vitae (quia in hoc scrofuli sunt frequentissimi) rarius annis proximis et rarissime in adultis oriatur, in quibus omnino sequela injuriarum externarum, caput offendentium est, et rarius morbos internos excipit. Nonnulla tamen vitia organica interna hydrope cerebri finiuntur. Subinde morbi organorum pectoris, inflammations activae et passivae, congestiones sanguinis ad caput, conditiones nervosae, sanguinis circuitus praepeditus, macies diurna post febres biliosas, dolores capitis vehementes et fixi, congestiones rel:, hydrozem cerebri tum acutum tum chronicum provocant.

Causas excitantes hydrops cerebri cum hydrocephalo interno communes habet. Ex iis quae exhala-
tione aucta morbum gignunt, sunt: encephalitis, in-
solatio, suppressio sudorum criticorum et omnium
exanthematum acutorum supra positorum in stadio
desquamationis. Illis vero, quae magis resorptionem
alienant, praeter indurations aliaque vitia chronica
cerebri ipsius accensentur scrofuli et quidquid eos
inducit, commotiones vehementes cerebri, spasmis,

emeticis fortioribus, ictu, plaga, lapsu, inductae etc. Ubi hydrops jam in foetu excolitur, causae quidem efficientes cum certitudine erui nequeunt, attamen probabile est, eum hydrocephalo interno simultaneo praeparari, et injuriis illis excitari, quarum supra mentio facta est.

Prognosis.

Prognosis hydropis cerebri omnino est iniquissima, praesertim ubi altiore gradum jam attigit, paucissimaque exempla fide digna prostant, in quibus medela prospere cessit. Error successus boni eo magis incidit, quo facilios hydrops cerebri cum encephalitide, febribus verminosis et intestinalibus sic dictis confundi potest. Plurimam spem tamen hydrops cerebri acutus seu febris hydrocephalica sic dicta, praesertim in stadio primo admittit. Hic enim inflammatio est, cui ars remedia cito ac tuto agentia opponere potest, nec dum fabrica cerebri tantopere est vitiata, exitus inflammationis in exsudationem nondum factus ergo nondum verus cerebri hydrops adest. Verumtamen auxilio promptissimo opus est. Cognitio exactior naturae hujus morbi, quippe qui in primis stadiis inflammatiorius est, nec non melior notitia prodromorum et signorum stadii inflammatiorii, nostris temporibus meliorem prognosin quam olim admittunt. Interest enim an medicus tempestive accedat, an morbi naturam dignoscat, et remediis idoneis eum impugnet. Si quidem multi contendunt, prognosin hujus morbi a medicis iniquius quam par est, significatam esse, sibique multa exempla even.

tus prosperi innotuisse affirmant, haec iis respondisse puto, si morbum inter initia adgressi sunt. Propterea non possum quin Goelisio accedam, qui docet hydropem cerebri, perfecte jam excultum nulli amplius remedio cedere, aegrotoque sine ulla salutis spe pereundum esse. Hujus opinioni alii etiam iisque experientissimi medici adstipulantur. Saepe numero hydrops cerebri acutus post diem decimum vel decimum quartum interimit. Sanatio, si qua incidit, sub aucta urinae dejectione evenire solet. Minus celeriter hydrops chronicus rapit, sed tanto periculosior est, quum spatio ejus diuturniori laesio intensior fabricae cerebri excolatur. Phaenomena funestissima sunt: relaxatio ingens et defectus universalis irritabilitatis, motus oculorum spasmodicus et strabismus continuus, siccitas narium, somnus irrequietus, somniis et pavoribus perturbatus, respiratio brevis, inaequalis et anxia, urina opaca, foetida et crassa, vomitus continens, spasmi tonici et resolutio organorum sensuum.

C u r a t i o .

Curam hujus mali periculosi promptam esse oportet. Cognitioni accuratori indolis hujus morbi inflammatoriae certiorem etiam ac stabiliorem curandi methodum debemus, quae, quantum licet, auxilium tutissimum praestat.

Quum hydrops cerebri duplē formam induere possit, acutam nempe, cui manifeste status inflammatorius cerebri et membranarum ejus subest, et chronicam, quae debilitate vasorum lymphaticorum nittitur, cura quoque differat necesse est.

Indicationes therapeuticae.

I, Remotio causarum irritationis vasorum et inflammationis, ope remediorum antiphlogisticorum.

II, Usus stimulorum antagonisticorum v. c. irritationum tractus intestinorum.

III, Cura paulo incitantior, si morbus naturam magis chronicam induit.

Ut optima curandi via deligatur, et eventus quam maxime respondeat, progressus, exitus et status morbi consideretur necesse est, ad quae nimurum medicum curam suam attendere oportet. Omnis medela per exsudationem in partes duas diducitur. Sub prodromis, irritatione vasorum et inflammatione ipsa, in uniuersum methodus antiphlogistica et anti-spasmodica tenetur, eoque fortior si inflammatio accessit.

Cura stadii primi seu inflammatorii.

Hoc in stadio non pugnandum est medico contra hydropem cerebri ipsum, sed modo providendum ne exitus fiat in exsudationem, et inde hydrops inducatur.

Propterea sanguinis detractiones, praesertim topicae, hirudinibus quam proxime ad partes lahorantes admotis, vel in ipso stadio prodomorum necessariae sunt. Constitutio corporis et aetas infantis, praecipue autem gradus mali praesentis rationem modumque sanguinis detrahendi definiunt necesse est.

Venae sectio non nisi convenit, ubi liberatio promptissima cerebri opus est, et puer annum septimum

iam superavit, quo in casu una venae sectio larga plus quam parvae et repetitae praestat. Hirudines plerisque in exemplis praferendae sunt, ita ut in infantibus natu minoribus eae solae in usum vocentur. His plerumque in prodromorum stadio hirudines quatuor applicantur, quae si vulnera post etiam sanguinem reddere patimur, diminuendis ad caput congestionibus et irritationi vasorum infringendae sufficiunt. Paulo majoribus natu sex vel octo hirudines appositae satis erunt, si profluvium sanguinis ex vulneribus aliquamdiu sustentatur. Repetitis sanguinis detractionibus topicis opus erit, ubi ex remissione manifesta signa affectionis cerebri, capitis dolores, photophobia, vertigo rel: post horas viginti quatuor vel triginta sex denuo exasperantur. Haec vero ab arbitrio et judicio curantis pendent.

Simul cum sanguinis missionibus remedia ad actuositatem organorum oppositorum potissimum tractus intestinalis ceterorumque viscerum abdominis augendam, in quo maximam partem cardo medelae vertitur adhibenda sunt. Crebra incitatione et evacuatione intestinalium impetus humorum a cerebro derivatur, et irritatio vasorum vel cerebri inflammatio solvitur. Huic usui mercurius dulcis inter omnia medicamina laxantia optime respondet, quippe qui non solum alvum ciet, sed etiam exsudationi lymphaticae valentissime obnittitur, quin imo resorptionem humorum effusorum efficit.

Doses ad aetatem et incitabilitatem infantis accommodandae sunt. Doses nimiae quum nocere possint, nimi tamen cautio aliena est,

quia auxilio valentissimo et promptissimo opus est. Infantibus, nondum annum natis singulis horis mercurii granum dimidium, ad secundum vel sextum annum provectis gr. 1 ad $1\frac{1}{2}$ exhiberi, et tam diu continuari convenit, dum intra horas vinti quatuor, sedes quatuor ad octo virides, fluidae pituitosae descendunt. Si tubus intestinalis iners et insensibilis est, nec clysmata evacuationes movent, singulae dosi calomelanos grana aliquot Jalappae adiicere licet. Salivatio mercurii usui superveniens nullum incommodum afferit, nisi immodica est. Si vero diarrhoea et colica vehementior usum ejus subsequuntur, doses rariores et minores adhibendae sunt. Usus tamen tum sub prodromis tum sub inflammatione ipsa continuetur necesse est, nisi res gravissimae vetant, usque dum remissio perspicua symptomatum morbosorum observetur. Nec non post remissionem interdum convenit, doses exiguae aliquamdiu exhiberi. Ubi sub usu mercurii et decremento symptomatum inertia organorum uriniferorum v. c. parca urinae excretio, inertia systematis lymphatici, pulsus celerior et frequentior accedunt, doses parvas digitalis purpureae cum calomelane conjungi commodissimum est. Pars quarta grani vel ad summum granum semis pulveris digitalis satis est, ut neque nimium incitet, neque nauseam aut vomitum cieat. Remedia alia quae contra reliquas hydropis species salutifera se praestant, nominatim diuretica et drastica acria, hic recte adhibentur.

Remedia externa.

Usus remediorum internorum externis multum juvatur, quorum principem tenet locum frigus capiti applicatum. Sunt quidem, qui fomentationes tepidas ex spirituosis et aromaticis remediis commendent 1) quibus me judice, affluxus humorum intenditur et morbus exasperatur. Est enim observatio maximi momenti, noxas omnes, quae congestionem humorum ad caput juvent, averti.

Fomentationes frigidae nunquam non in affectionibus cerebri inflammatoriis usum praestantissimum praestiterunt, 2) eorumque effectus salutaris experimentis medicorum dignissimorum comprobatur. Aqua glacialis, nix, mixtiones artificio paratae, frigus moventes v. c. fomentationes Schmuckerianae ex linteis complicatis, aut spongiis, capiti detonso inpositae et quam saepissime renovatae effectu non carent. Commodior applicatio glaciei aut nivis in vesicis bulbis, capiti superdatis est, quibus corpus reliquum non madefit.

Formeus et Heimius infusiones capitis ex aqua frida, ut efficaciores commendant; caput tonderi, cervicem et humeros serico cerato circumdari, infanten ex lecto tolli, ab alio socio caput teneri, ab alio aquam frigidam ex altitudine modica tenui flumine super caput et frontem praecipitari jubent. Infantī

1) Haase, Chron. Krkhten, B, III, S. 566. Leipzig, 1813.

2) Goelis, l. c. c.

protinus mens redit, quod si factum est, infusionibus abstineri oportet. Attamen haec methodus molestissima, quoties mens infantis labat, die noctuque est repetenda, si eventum prosperum sperare velis. Nonnulli 1) de successu hono remedii hujus temerarii dubitant, ac fomentationes frigidas praferri volunt; contra Heimius et Formeus 2), se rebus vel maxime desperatis, hac methodo multos servasse affirmant.

Vesicatoria frigori effectu proxima sunt, sed non nisi post sanguinis detractionem applicata, ita ut in cervice, brachio superiori et suris ponantur. Culennius et Monroe vesicatorium amplum medio capiti apponendum suadent, quae ratio ideo aliena videtur, quia ut supra posui, affluxus humorum ad caput augetur; fortasse tum ei locus est, si malum ex retropulso capitinis exanthemate coortum est. Vulnera quidem aliquamdiu aperte sunt servanda.

Balnea tepida. Pediluvia ex aqua tepida in prodromorum stadio valdopere commendanda sunt, si vero inflammatio exculta est, effectu carent, et sinapsim ceterisque rubefacientibus posthabenda sunt. Balnea parum sufficient, et utilitatem demum praestant si functio cutis ex toto suppressa est.

Inunctiones colli, inguinum et femorum ex unguento mercurii multis a medicis recte laudantur 3) sed iis modice utendum est, quum facile salivationem nimiam eamque noxiā moveant. Inunctiones mercuriales, quum usum hydrargyri internum nullo

1) Goelis, l. a. l. 2) Formey l. a.

3) Haase. l. a. l. S. 367.

modo suppleant, adjuvare eum tantummodo possunt. Remedia modo recensita in stadio inflammatorio tantum indicata sunt. An aliis quoque opus sit v. c. emulsionibus, diaphoreticis et diureticis, ex rebus circumstantibus est iudicandum. Cura eventum prosperum sortita, summa observatio convalescentiae est impendenda, omniaque quae noxam inferre possint vitanda sunt. Ubi ciborum appetentia redit, cibi exigui saepius dati conveniunt. Roborantibus fere nunquam opus est, ceteroquin usus eorum magnam cautionem expostulat.

Cura post exsudationem.

Exsudatione facta, curatio hydropis cerebri chronicí indicatur, sive inter usum remediorum ad hydropem cerebri acutum adhibitorum, sive omissio supervenit. Hic quidem causae mali potissimum considerandæ veniunt, quae indicatio propterea magni momenti est, quod dubitari nequit, quin sanatio contingere possit. Causae quas medicum præ ceteris oppugnare oportet, sunt scrofuli et varia cutis exanthemata suppressa. Longus essem, si singulas medendi rationes exponerem, quamobrem lectoribus auctorum praestantissimorum libros, Hufelandii¹⁾ præsertim etc. super hac re evolvendos commendō.

Indicatio secunda eaque gravior priori est, ut resorptione adacta extravasatum cerebri submoveatur, et excrecio normalis et functio cerebri restituatur. Nullum remedium, communī experientia teste, huic fini melius

1) Hufeland über Scropheln. Jena 1798.

respondet, quam hydrargyrum muriaticum mite, eodem, quo supra dictum est modo, idque constantissime adhibendum. Ut internorum medicaminum mercurius dulcis locum principem tenet, sic externorum unguentum mercurii cinereum praestantissimum est. In frictionibus ad verticem, cervicem et latera colli adhibetur, et eo usque continuatur, dum effectus salubres parca salivatione se exerunt.

Digitalis purpurea quoad efficaciam proxime a mercurio abest, tum intus data adjuncto mercurio, tum extrinsecus in forma unguenti applicata. Indicatio ejus praecipue prostat, si juxta hydropem complicatio scrofulosa debellanda; quamvis antimonialia, diuretica et drastica fortiora in aliis hydropibus, statu scrofuloso conjunctis recte propinantur, hoc tamen in casu exactissime vitanda sunt.

Remediis externis, quorum utilitas multorum auctoritate gravissima confirmatur, accensenda sunt: Vesicatoria, fonticuli et setacea, locis supra descriptis apposita. Necessitas eorum tanto major est, ubi morbus exanthemata cutis suppressa, v. c. tineam capitis rel. pro causa agnoscit.

Tertia indicatio datur, si ad gradum mali altiorum spasmi accedunt, quod si factum est, anti-spasmodica mercurio et digitali adjicienda sunt. Etsi, quae ex iis minus efficacia sunt, subinde minus sufficiunt, tamen ea quae maxime calefaciunt, et simul sanguinem ad caput congerunt, v. c. opium, vitanda sunt. Tutissima sunt: Liquor ammon. succin:, Belladonna et prae ceteris Moschus, infantibus parvis ad granum dimidium, et tum dosibus sen-

sim auctis exhibendus. Usum interdum praestitit,
ubi opium effectu carebat.

Quarta nascitur indicatio, si congestiones perio-
dicae ad caput fiunt. Hoc in casu hirudines aliquot,
capiti admotae, pediluvia, derivantia calida et incitan-
tia, cataplasma calida circa pedes commendari pos-
sunt. Si alii status morbosi v. c. Rhachitis, status
gastricus, verminosus accedunt, vel si scrofuli ma-
gis excoluntur, his obnitendum est.

Denique usu horum remediorum continuato,
etiamsi morbus in melius conversus est, indicationi
quintae, ut morbus scilicet recidivus caveatur, satis-
faciendum est.

Victus ratio maximam partem ad complicationem
morbi accommodanda est, ita ut in hydrope cerebri
acuto magis antiphlogistica, in chronicò incitantior
praecipiatur.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Joannes Sebastianus Boettger, postridie calendas Januarias anno MDCCXCV. Hoymi, oppido duatus Anhaltini Bernburgensis, natus, patrem habui Joannem Boettger, ejusdem oppidi Seliarium. A pueritia inde scholam publicam loci natalis frequenter, in qua linguis tum antiquioribus tum recentioribus, ceterisque quibus vulgo in scholis juventus imbui solet, eruditus sum virorum praestantissimum cura et opera, quorum memoria semper pectori meo memori infixa haerebit. Aliquanto post chirurgiae operam daturus, anno MDCCCXIV. in academiam medico-chirurgicam militarem Berolinensem acceptus, annoque sequente, quum bellum inter Borussos Gallosque conflatum esset, legionem secundam praetorianam, munere chirurgi inferioris mihi delato, secutus sum. Post breve illud studiorum meorum intervallum, sub finem illius anni Berolinum redii, et denuo summa cum assiduitate litteris vacavi.

Ilo quod litteris dicavi tempore, omissis publicis praelectionibus, his fere disciplinis privatim traditis, quae ad artem medicam et chirurgicam pertinent, vacavi.

De chemia experimentali, Physice et Pharmacia Celeb. Turte; de Logice Celeb. Kiesewetter; Celeb. Hayne de Botanice; Illust. Knape de Osteologia, Splanchnologia et Anthropologia forensi; Illustr. Rudolphi de Anatomia universali et Physiologia, quibus viris summe Spectabilibus ad artem cadavera rite disseandi addiscendam in theatro anatomico praeceptoribus gravitus sum; Materiam medicam et Physiologiam Celeb. de Koenen, Pathologiam, Semiotiken et Therapiam specialem et generalem Celeb. Hufeland jun. Materiam medicam Celeb. Osann mihi tradiderunt. Circa Akologiam et Cursum operationum chirurgicarum Illustr. Mursinna; Circa Chirurgiam, doctrinam de ossibus, fractis et luxatis, et artem obstetriciam tum theoreticam tum practicam Celeb. Kluge; de Cursu operationum chirurgicarum Illustr. Rust; audivi; Idem scholas clinicas Illustr. Horn in nosocomio caritatis frequentavi.

Proxima hieme cursum anatomico - chirurgicum praesidibus viris Illustr. Rudolphi, Knape et Mursinna absolvı. Tentamine jam et examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut, dissertatione publice defensa gradus doctoris medicinae ac chirurgiae rite in me conferatur.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

In exanthematis acutis febris sola est respicienda.

II.


Dysenteria est morbus acutus.

III.

Non semper in exulceratione pulmonum a venae
sectione abstinendum.

IV.

Nulla signa characteristicæ phthiseos adsunt.





24ColorCard CameraTrax.com